

BX 2035

B 3

V. 2



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEON



**DE**  
**SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS,**

**TITULUS PRIMUS.**

**SUMMARIUM.**

- 1 Quare haec Unctio vocetur extrema?
- 2 Octo Unctiones in usu esse solent in Ecclesia.
- 3 Est Sacramentum Evangelicae Legis.
- 4 Constat ex Oleo Sacro, et precibus.
- 5 Quare Christus reliquerit hoc Sacramentum Ecclesiae?
- 6 Caeremoniae omnes ad unum referuntur.
- 7 A quo fuerit institutum hoc Sacramentum.
- 8 Non est exploratum quo tempore institutum fuerit.
- 9 Ubi, et quando Christus instituerit hoc Sacramentum?
- 10 Cur Evangelistae non meminerint hujus Institutionis?
- 11 Non omnia quae tenet Ecclesia, habentur in Sacra Scriptura.
- 12 Sacramentum ministrandum a Presbyteris Ecclesiae.
- 13 Presbyteri an debeant esse plures in hac administratione?
- 14 Scriptura quandoque utitur numero plurali pro singulari.
- 15 Causa finalis hujus Sacramenti est curatio Animae.
- 16 Curatio tamen a venialibus, non vero a mortalibus.
- 17 Et ad tollendas reliquias peccati.
- 18 Quanam sint Peccatorum reliquiae?
- 19 De sine primario institutionis hujus Sacramenti.
- 20 Secundus effectus est consummatio Poenitentiae.
- 21 Tertius effectus est salus corporalis.
- 22 Extrema Unctio non est danda cuicumque Infirmo.

- 23 Sed iis qui periculose aegrotant.
- 24 Periculum vitae esse potest in principio, et in fine aegritudinis.
- 25 Non semper attendenda est Medici peritia.
- 26 Sanis ministrari non potest nec licite, nec valide.
- 27 Parochus non debet expectare articulum mortis, ut ministret.
- 28 Utilius est ministrare dum Infirmus est integris sensibus.
- 29 Quando est ruina praecipua, faciendae sunt quae fieri possunt.
- 30 Prius ministrandum est Infirmo Sacramentum Poenitentiae.
- 31 Secundo Sacramentum Eucharistiae.
- 32 Aliquando Extrema Unctio ministrata fuit ante Viaticum.
- 33 Eucharistia est finis, et perfectio omnium Sacramentorum.
- 34 Aliquando ministrare Extremam Unctionem ante Poenitentiam fuit utile.
- 35 Tutior regula est prius ministrare Poenitentiam.
- 36 Effectus Sacramenti est augere gratiam.
- 37 Vasculum pro Oleo Sancto.
- 38 Custodia sub qua reponi debet Oleum Infirmorum.
- 39 Non debet collocari in quocumque alio loco.
- 40 Fenestellam debet habere separatam sibi soli.
- 41 Debet fenestella esse in loco, in quo adsit Tabernaculum cum Sacramento.
- 42 Fenestellae forma et figura.
- 43 Litterae inscribendae supra fenestellam.
- 44 Vasculum Olei ex argento, vel stanno esse debet.
- 45 Litterae sculpendae in ventre Vasis.
- 46 Capsula hujus Vasculi.
- 47 Bursa serica pro condendo hoc Vasculo.
- 48 Basis hujus Bursae qualis esse debeat?
- 49 Oleum debet esse illo anno benedictum.
- 50 Oleo veteri valide, sed illicite ministratur.
- 51 Oleum vetus potest adhiberi in casu justae necessitatis.
- 52 Peccat Minister qui illud adhibeat absque necessitate.
- 53 Si deficiat Oleum novum, potest adhiberi Oleum vetus.
- 54 Vetus Oleum comburi potest in lampadibus Sanctissimi Sacramenti.
- 55 Quomodo immisceri possit Oleum non consecratum cum consecrato?
- 56 Effusio Olei vitanda.
- 57 Oleum in bombacio imbendum.
- 58 Quinam sint capaces hujus Unctionis?
- 59 Infantes non sunt capaces hujus Sacramenti.
- 60 Usus rationis quando regulariter superveniat?
- 61 In qua aetate pueri sint capaces Extremae Unctionis?
- 62 In dubio usus rationis potest ministrari sub conditione.
- 63 Sed semper quando puer sit in mortis periculo.
- 64 Senes possunt semper muniri hoc Sacramento.
- 65 Caterva morborum multiplex.
- 66 Qui sani petierunt, ungenti etiam si extra mentem sint.
- 67 Qui Christiane vixerunt, ungenti etiam si non petant.
- 68 Amentes a notivitate comparantur infantibus.
- 69 Phrenetici et delirantes ungenti, secluso periculo irreverentiae.
- 70 Phrenetici ligandi sunt, ad hoc ut quiete ministretur Sacramentum.
- 71 Quatuor ordines personarum arcentur a susceptione Extremae Unctionis.
- 72 Impoenitentes quinam sint?
- 73 Manifesti peccatores.
- 74 Excommunicati.
- 75 Nondum baptizati.
- 76 Praesumptio sufficit pro illis ministrando Oleo Sancto.
- 77 Qui periculo se exponunt, non dicuntur infirmi ideo iis non ministrandum.
- 78 Sacramentum hoc est institutum pro morituris ex infirmitate.
- 79 Puerperae ungi possunt, si partus sit valde periculosus.
- 80 Reis capite damnatis non ministranda Extrema Unctio.
- 81 Quia non potest hoc Sacramentum illis prodesse ad salutem corporis.
- 82 In aliquo casu potest ministrari reis plectendis.
- 83 Casus exponuntur.
- 84 In tormento rotae potest ministrari.

- 85 Magistratus saecularis non potest hoc prohibere.
- 86 Objectiones solvuntur.
- 87 An damnato ministrandum sit per Parochum?
- 88 Orationes omitti possunt in periculo extremo.
- 89 Si supervixerit aeger, supplendae sunt orationes.
- 90 Mortuus non est capax Sacramenti.
- 91 Si dum ungitur quis moritur, non amplius procedendum.
- 92 Oleum Sanctum potest deferri una cum Viatico.
- 93 Post Sacerdotem, Diaconus est dignior minister.
- 94 Diaconus deferre potest Oleum infirmorum.
- 95 Oleum Sanctum si deferatur cum Viatico, debet deferri occulte.
- 96 Oleum Sanctum iterari non debet in eadem infirmitate.
- 97 Nisi aeger convaluerit a primo decubitu.
- 98 Disputatio orta circa hoc inter Pium PP. II. et Episcopum Roverellam.
- 99 Quinque sunt partes corporis humani ungentidae.
- 100 Intelligentur quinque sensuum instrumenta.
- 101 Pedes, et renes cadunt sub quinque sensibus.
- 102 Sensus in quo delinquere possint?
- 103 Lumborum delectatio an sit sensus separatus et quinque aliis?
- 104 Ratio harum quinque unctionum.
- 105 Unctiones essentielles quinque.
- 106 Unctiones integrales duae.
- 107 Lumbi in foeminis non ungentur etiam si petierint.
- 108 In Viris ommittitur unctio lumborum, sed nulla ratione.
- 109 Unctiones lumborum suppleri non debent in alia parte.
- 110 Manus Sacerdotum inunguntur exterius, et quare?
- 111 Opimo, et rationes contrariae.
- 112 Tactus habet suam vim in interiori parte manus.
- 113 Unctio externa fit ob dignitatem Sacerdotalem.
- 114 Unctio per saltum est valida.
- 115 Forma impleri debet in toto tempore Unctionis cujusque sensus.
- 116 Mutili aliquo membro quomodo ungenti?
- 117 Qui abundant aliquo sensu prout monstrosi quomodo?
- 118 Mutili ungenti sunt in parte proximiori.
- 119 Abundantes in principaliori parte, seu membro ungenti.
- 120 Homo peccare potest per potentias internas.
- 121 Forma hujus Sacramenti vocatur precatio.
- 122 Tradita fuit a Concilio Florentino.
- 123 Forma variae antiquitus adhibitae.
- 124 Repetitur forma, mutato nomine sensus.
- 125 Non est de necessitate Sacramenti servare ordinem in ungento.

1 2 Unctio haec vocatur extrema, tum quia applicari solet homini in extremo vitae laboranti, tum quia est extrema in ordine ad illas octo unctiones, quae in usu esse solent apud Ecclesiam Catholicam; et quas enumerat, et explicat Clericat. *de Extr. Unct. dec. 61. num. 3.*

Aliis nominibus etiam appellatur, et primo: *Oleum Sanctum, Eucholog. Graec. Sanctum Chrismatis Oleum.* Ut Innoc. III. *Epist. ad Docent, Oratio cum Oleo,* ut Graeci vocant: *Poenitentiae consummativum,* Concil. Trid. *sess. 14. de eod. Sacramenti* Denique Unctio Infirmorum, ut idem Concilium; sed commune, et universale nomen in Ecclesia Catholica est: *Extrema Unctio.*

§. I. Extremae Uctionis Sacramentum a Christo Domino institutum, tamquam caelestis medicina, non Animae solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia periculose aegrotantibus adhibendum est; et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens, et ratio viget: ut ad uberiores Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum Sacro liniuntur Oleo.

3 4 Sacramentum Evangelicae legis proprie dictum hoc esse notat Victorellus in suo peculiari Tractatu *de Sacro Extremae Uctionis Sacramento*, Putavii 1609. atque hoc asserit ex testimonio *Concilii Vormat. can. 72. Florentini*, et aliorum ab eo allegatorum, pag, 1. Constat autem ex Sacri Olei Uctione, et Sacerdotali prece: quae unctio, licet in plures partes divisa sit, tamen unum constituit Sacramentum.

5 6 Ob id Extremae Uctionis Sacramentum a Christo est relictum Ecclesiae, ut Fideles, sicut in ingressu in Orbem Sacramento initiantur, et admittuntur: ita in egressu Sacramento juventur, et dimittantur. Atque ideo caeremoniae omnes eo referuntur, ut infirmus juvetur tum ad morbum facilius tolerandum, tum ad feliciter e vita migrandum, Cardin. Valet. *Thesaur, piar instit, pag, 233.*

7 De institutione hujus Sacramenti multi multa dicunt. Nonnulli satis graves Theologi illam tribuunt Apostolis, Victorell. *dici. p. 2.* Alii Innocentio I. Pontifici, sed à Christo institutum fuisse, et a S. Jacobo promulgatum, et commendatum, dogma fidei est, Concil. Trident. *can. 1.*

8 Quo tempore vero institutum fuerit, non esse exploratum, asserit idem Victorell. *loc. cit.* Quare attempta certa institutione hujus Sacramenti a Christo Domino facta, disputant Scholastici, ubi, et quando Christus Dominus illud instituerit? Circa hoc quaesitum duas affert praecipuas Theologorum opiniones Clericat. *dict. decis. 63. n. 2.*

9 Prima est, quod Christus Dominus illud instituerit, quando misit Apostolos ad praedicandum cum potestate sanandi infirmos per Sacram Olei unctionem, ut legitur apud Sanctum Marcum 6. *Et ungebant oleo multos aegros, et sanabant.*

10 11 12 Secunda opinio est, quod fuerit institutum a Christo Domino post ejus Resurrectionem, statim ac instituit Sacramentum Poenitentiae, nempe quando dedit Apostolis potestatem remittendi peccata per illa verba, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* et hanc esse opinionem probabiliorem, et magis rationi consentaneam docet idem Cle-

ricat. *loc. cit. num. 8. et 9.* qui satis erudite cum Mastrio *disp. 6. n. 7.* et cum Cardin. de Lauraea, *disput. 2. n. 8.* respondet objectioni, et instantiae, cur Evangelistae non meminerint expresse, ac distincte institutionis hujus Sacramenti? nam omnia, quae tenet, et tenuit Ecclesia, habentur in Scriptura, sed ex eis multa per traditiones accepta sunt. Certe de hoc loquitur Apostolus Jacobus. *in ep. cap. 5.* dum dicit; *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.*

13 14 Nonnulli opinantur, quod per ly *Presbyteros Ecclesiae*, intelligi debeat, hoc Sacramentum ministrari debere per plures Sacerdotes eodem tempore, Sarnell. *ep. Eccl. T. 6. ep. 21. num. 2.* sed hoc dictum est ex consueto stylo Sacrae Scripturae, quae quandoque numerum pluralem adhibet pro singulari. Sic Matth. 27. legitur: *Idipsum, et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei*, quando unus erat tantummodo malus latro, qui Christo improperebat, S. Augustin. *lib. 3. de consensu Evangelistarum.* Verba Apostoli mirabiliter explicat superenunciatus Cardin. Valerius *loc. cit.* et praecipue illa, *oratio fidei; Alleviabit; Remittentur ei, etc.*

15 16 17 18 19 Causa finalis hujus Sacramenti est curatio animae a peccatis venialibus, quia mortalia alio Sacramento indigent, nempe Poenitentiae. Si enim Extrema Uctio remitteret peccata mortalia, quasi frustraneum esset Sacramentum Poenitentiae, nam per hanc Uctionem facilius haberi posset. Haec docet Scot. *in 4. Sentent. dist. 23. quae est unica B.* dum exactissimam, et completam definitionem dat hujus Sacramenti, his verbis: *Est unctio hominis infirmi poenitentis facta in determinatis partibus corporis a Sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione divina, efficaciter significans curationem finalem venialium, cum oleo consecrato ab Episcopo.* Verum S. Thom. *in suppl. quaest. 1. art. 2. quaestione. 1.* vult hoc Sacramentum primario esse institutum ad tollendas reliquas peccati: Quae nam autem sint hae reliquiae docet Coninck. *de Extr. Uct. disp. 19. d. 5. num. 17.* unde eruit hanc Conclusionem *num. 18.* hoc Sacramentum esse primario institutum, ut per gratiam habitalem, quatenus habet adjunctas actuales, huic effectui proprias, animum infirmi, vi morbi infirmatum, ac tempore quodam depressum roboraret, et excitet ad spem, et fervorem spirituales, et eum praeparet ad fortiter sustinendos Diaboli insultus, qui nos tunc maxime impugnat. Ita Suarez *disp. 41. sect. 1. num. 11.* et videtur expresse sententia Tridentini, *sess. 14. in proemio de Extr. Uct.*

20 Item alius effectus hujus Sacramenti est, et a Coninck vocatur secundarius, *num. 19. ibid.* delere peccata, quae per alia Sacramenta deleri non possunt, et poenas peccato remisso restantes: nam per Trid. vocatur *consummativum Poenitentiae*.

21 Insuper alia causa finalis, seu alius effectus est conferre corporis salutem, non vero absolute, sed interdum, et sub conditione si saluti Animae, secundum divinam providentiam expediat. Ideoque dicit hic Rubrica nostra; esse medicinam non solum animae, sed etiam corpori salutarem: quod item dicit S. Thom. 3. *p. in suppl. quaest. 30. art. 2.* his verbis: *Ex hoc Sacramento non semper sequitur corporis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem; et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.* Multa exempla de sanitate corporis adepta per Sacramentum Extremae Unctionis a graviter decumbentibus affert Gobat. allegat. a Clericat. *d. decis. 82. n. 17.*

22 23 24 25 26 Attamen non cuicumque infirmo danda est Extrema Unctio; sed illis tantummodo qui periculose, et graviter aegrotent: unde inquit Barbos *de pot. Paroc. p. 2. cap. 22. num. 14.* ministrandam esse cum Parochus viderit hominem de vita pariclitari. Istud periculum potest in principio morbi, vel in fine evenire, ideoque debet bene advertere cum omni studio, ac diligentia quando adsit tale periculum: datur enim quandoque casus in quo poterit statim in principio morbi eam ministrare, etsi diurnus morbus videatur, Barbos. *dict. num. 21.* nec semper attendenda est Medici peritia, quando probabiliter dubitetur, an homo in periculo mortis sit: homo nempe infirmus, non homo sanus est; equidem sanis, seu personis in sanitate corporali constitutis, Extrema Unctio nec licite, nec valide ministrari potest, ut concorditer docent Doctores cum Clericat. *dict. dec. 79. n. 2.* et si ministraretur, Sacerdos peccaret, et puniendus esset, Clericat. *decis. 74. num. 3.*

27 28 Debet in super Parochus hoc Sacramentum ministraturus advertere, bonum esse expectare articulum, quo infirmus omni prorsus sensu careat, aut quo omnino ipsius desperata sit salus. Ita Nald. *in Summ. Verbo Extr. Unctio n. 1.* Coninck *disp. 19. dub. 7. n. 25.* et alii apud Barbos. *num. 19.* Sed utilius est ministrare dum infirmus adhuc est integris sensibus, ut majori cum devotione, et fructu illud suscipiat. Stat etiam pro mea sententia Lucas Cerracchinus in Florentina Universitate Theologus in sua dissertatione Theologico-dogmatica Florentiae impressa anno 1737. qui non expectandas esse postremas vitae periodos in infirmo pro ministrando Sacramento Extremae Unctionis validissimis rationibus comprobavit contra nonnullos diversae opinionis scriptores.

§. II. In quo illud in primis, ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut si tempus, et infirmi conditio permittat, ante extremam Unctionem Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur.

29 30 31 Quando infirmitas sua periodo procedit, tunc omnia rite, et recte praestari possunt: sed quando est praeceps, tunc quae fieri possunt, non quae deberent, praestanda sunt. Ideo Rubrica dicit: *Si tempus, et infirmi conditio permittat.* Equidem regula generalis est, ut infirmo prius ministretur Sacramentum poenitentiae, deinde (si nullum impedimentum adsit) Sacramentum Eucharistiae, et est de veteri more Ecclesiae; cui consuetudini applicanda sunt illa verba Casalii *d. p. 2. cap. 32.* ubi dicit; *nec rationem poenitentiae, nec communionis gratiam denegandam esse infirmo ante oleum Sanctum.*

32 33 34 35 Notandum tamen est: quod Rituale, hanc anticipationem Poenitentiae, et Eucharistiae ponit de consuetudine: quamvis enim Extrema Unctio ultimum locum inter Sacramenta habeat, et sit Sacramentum exeuntium, et totius vitae Christianae consummativum. Durant. *de Rit. Eccl. l. 1. c. 2. num. 23.* Suar. *d. disp. 44. sect. 1. num. 8.* nihilominus quibusdam in locis olim ante Viaticum dari solitam fuisse extremam Unctionem colligitur ex *cap. ab infirmis 26. quaest. 7.* nec sine ratione hoc factum fuisse, et fieri debere explicat Barbos. *d. p. 2. cap. 22. num. 36.* quia Eucharistia finis est, hac perfectio reliquorum Sacramentorum, quam proinde decet animae praebere, postquam aliis Sacramentis plene purgata est: significat enim Viaticum, dandum esse Animae mox migraturae; unde idem Barbosa credit, non esse peccatum mortale conferre Sacramentum hoc infirmo, antequam susceperit Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae, quia infirmus potest per contritionem se disponere ad suscipiendum hoc Sacramentum; tum quia aliquando fieri potest, ut quis suscipere valeat extremam Unctionem, non vero Poenitentiam, vel Eucharistiam, ut quando aliquis patitur vomitum, vel repente morbo correptus, in lethargum incidit, nec dat signa petendae poenitentiae. Nihilominus, ut ait Rubrica, consuetudo servanda est, quae pro laudabili habetur. Vide Trullench. *l. 6. cap. unic. dub. 4. num. 10.* Clericatus vero *dec. 80. num. 1. 2. et. 3.* multis rationibus munitus tenet opinionem contrariam, et dicit, debere Parochum, antequam hoc Sacramentum ministret infirmo, ejus confessionem Sacramentalem audire, et absolutionem dare, potissimum si in illa infirmitate ipsemet infirmus non fuerit confessus peccata sua, adeo ut spectet ad Parochum ipsum advertere, ut nemo conscius peccati mortalis, hoc Sacra-

mentum recipiat, nisi prius animam suam per confessionem emundavit: nam si effectus Sacramenti est, inter alios, angere gratiam, quomodo augebitur ista gratia in eo, qui nullam gratiam habet, imo obicem habet ad illam recipiendam?

36 Plura etiam de hoc argumento habentur in Victorell. *d. p. 53.* qui concludit, decens esse, praemittere Confessionem, et Eucharistiam; quod etiam postulat usus. Igitur ab hac Ecclesiam consuetudine, cum necessitas aliud non postulet, recedere minime decet. Non arbitratur tamen lethale facinus, aegrotum contritum, ante Confessionis. Eucharistiaeque mysteria, Sacro Oleo liniri, Victorell. *d. f. 56.*

§. III. Habeat igitur Parochus loco nitido, et decenter ornato, in vase argenteo, seu stanneo, diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum, quod singulis annis, feria 5. in Coena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Id tamen si forte infra annum, aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minore quantitate superinfuso, reparari potest.

37 38 39 De Vasculis pro Oleo Sancto, de ejus renovatione, es suplemento, si desit, necnon de ejus combustione satis diximus in explicatione Tituli *de Sacris Oleis, et aliis requisitis.* Remanet, ut aliquid dicamus de loco, seu custodia, in qua reponitur Oleum infirmorum. Hoc Oleum suum habere debet Repositorium separatum a quocumque alio loco; nam neque in Fonte baptismali, neque in Tabernaculo, neque in Reliquiarum Sacrarum custodia reponi debet, *Prov. 1. p. 2.*

40 41 42 43 Fenestellam propriam, atque ad hoc unice paratam habere debet Oleum infirmorum, quam nonnulli vocant Armarium. Proprie cita debet esse haec fenestella in pariete Ecclesiae ad cornu Evangelii Altaris majoris, seu in quo adsit Tabernaculum cum SS. Eucharistia, adeo, ut particeps sit luminis ardentis in Lampade ante Sanctissimam Eucharistiam, *Synod. Ferr. Card. a Verme, p. 2. pag. 80. 81.* Ejus altitudo a terra, sit quanta sufficiat ad commode eam aperiendam sine ope vel scalae vel suppedanei: quadratae formae sit, et amplitudo ejus quanta ad opem sufficiat, intus ex asseribus sit contexta bene levigatis, serico coopertis coloris violacei. Extra vero sit picturae auxilio distincta a quibuscumque aliis fenestellis, quae in illa Ecclesia sint. Ostiolum habeat ex lig-

no quod bene claudat, cum sera, et clave, extra quod picta sit Bursa rubea, et subtus litteris majusculis haec verba legantur: **SANCTUM OLEUM INFIRMORUM.**

44 45 46 47 48 Haec de fenestella, sive custodia Sancti Olei: modo de Vasculo dicendum, quod ex argento, vel stanno esse oportet, cum suo operculo ejusdem metalli. Litterae vero in ventre Vasculi sunt haec, **EXTRE. UNCT.** hoc est: *Extremae Uctionis.* Sed hoc Vas indiget, ut operiatur in quadam capsula rotunda talis mensurae, ut unice capiat illud, et sit intus subsuta serico violaceo; extra vero cooperta corio colorato; et si libet, auro, vel argento obsignata. Insuper alio tegmine indiget hoc Vasculum, nempe Bursa serica coloris violacei, dupliciter subsuta, cum suis funiculis sericis, ejusdem coloris, ad illam obstringendam collo Sacerdotis, dum ad Infirmos pergat. Basis, seu fundus hujus Bursae sit rotundus, patulus, et non mollis, sed subdurus, et valeat ad in se perpendiculariter semper obserandum Vas, dum in itinere portatur. Hoc modo in loco nitido, et decenter ornato custoditur Sacrum Oleum Infirmitatis ex praescriptione S. Caroli *Act. Ecc. Med. et Cavalierii, Rect. Eccles. Tit. 9. n. 2. 4. et 5.*

49 50 51 52 53 54 55 Debet esso hoc Oleum illo anno benedictum ab Episcopo in feria 5. Coenae Domini; quia quamvis Doctores allegati per Clericat. *decis. 65. nu. 16.* concludant, valide posse administrari Sacramentum extremae Uctionis cum Oleo veteri benedicto, idest annis praeteritis consecrato, nihilominus illicite semper fit, quia est contra praecceptum de singulis annis comburendo veteri Oleo, et novo consecrando; At tamen in casu necessitatis, deficiente novo, poterit adhiberi Oleum benedictum vetus si adsit, et nondum provisum sit de novo, juxta responsum *S. C. Episc. 20. Maji 1590.* apud Gavant. in *Manual. Ep. verbo Extrema unctio, n. 10.* et docet Diana *coord. t. 2. tr. 4. resol. 8. §. 1.* ubi Doctores cumulat, quibus adhaerent Salmanticenses *tr. 7. cap. 2. n. 10. 11.* ex Clericat. *dec. 65. nu. 16.* Attamen si necessitate non urgeatur Parochus adhibens vetus Oleum, non videtur a Peccato excusandus, *Barbos. dict. p. 2. cap. 32. num. 25.* quia debet Oleum esse benedictum eo anno, ut praecipitur in *cap. litteris, de consecr. dist. 3.* Si vero Parochus careat Oleo noviter benedicto, ob aliquem fortuitum casum, adeo ut ista deficientia absque sua culpa sit, poterit veteri Oleo morituros ungere, usque dum novum ipsi ab Episcopo transmissum fuerit, *Zambran. c. 5. dub. 4. n. 15.* Ugolin. *§. 2. num. 2.* Layman. *tract. 8. cap. 1. num. 4.* ubi advertit, per allegat. a *Barbos. dict. l. quod si adventante novo, ex veteri aliquid remanserit, ponendum est, ut comburatur in lampadibus Ecclesiae, quae ante Venerabile Sacramentum ardent.* Quoad admixtionem Olei non consecrati cum consecrato, cavendum est, ut quod additur, sit minoris

quantitatis consecrato; et advertenda sunt quae alibi diximus in Titulo *de Sanctis Oleis*, §. 3. cum Possevino, Fulco, Bonacina, Barbosa, et aliis Doctoribus, sed in specie Barbosa praeter alios animadvertendus est. Satis curiosa quaestio promovetur in gloss. ad Decret. Gratian. *P. p. dist. 5. c. 3.* Illud superfluum *Rubr. Oleo Sanctificatio*. Ungere an possit quis Oleo non consecrato? Numquid confert hoc Sacramentum si quis inungit Oleo non consecrato? Videtur quod sic: quia et Baptismus confertur in Aqua non consecrata, *de consec. dist. 4. c. si quis.* Alii dicunt contra, nec est simile, quia vis Baptismi tota est in verbis, haec autem vis est in re ipsa, scilicet in Oleo. S. Thom. *3. p. q. 72. 3. et 4. sent. dist. 7. q. c. 2. 3.* Sed ista ratio calumniam habet Extr. *de Bap. c. pen.* Verum utique est quod Aqua non consecrata valide confertur Baptismus, quia Ecclesia Sacramentum tantae et summae necessitatis noluit limitare ad solam Aquam consecratam, quae ut plurimum sub custodia est, nec a quocumque haberi potest, prout Aqua communis in necessitate Baptismi. Sed cum extrema Unctio non sit Sacramentum necessarium medii, adeo ut unusquisque salvari possit absque illa, ideo ob dignitatem majestatem. quae Sacramenti, Ecclesia ad hoc destinavit tantummodo Oleum consecratum.

§. IV. Oleum porro ipsum vel per se solum, vel in bombacio, seu re simili servari potest: sed ad evitandum effusionis periculum, multo commodius ad infirmos deferatur in bombacio.

56 57 In Titulo *de Sacris Oleis*, satis diximus circa hanc materiam, ad evitandum periculum effusionis Olei: Certe si haec cautela valet in ulla occasione, est in delatione Olei Sancti ad Infirmos; non enim in alio Oleorum Sacrorum usu vasa huc illuc tam saepe transferuntur, quam in extrema Unctione. Nihilominus pro quocumque eorum usu est satis utilis eorum immersio in bombac. seu lino, seu spongia, etc.

§. V. Debet autem hoc Sacramentum Infirmis praebere, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, et iis qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.

58 59 Conditio necessaria in homine recepturo Sacramentum extremae Unctionis est, quod sit capax talis Sacramenti: sed Infantes, qui usum rationis non habent, hanc conditionem adimplere non possunt; ergo illis non est administrandum per allegat. á Clericat. *dec. 70. per tot.* cum variis Doctoribus videntis ex gratia ob multas rationes, quas adducunt.

60 61 Usus rationis, ut alibi diximus, ad septimum usque annum perducitur. Verum si aliquis quaereret, in qua aetate pueri censeantur habere usum rationis, et capacitatem Sacramenti extremae Unctionis: dicam cum Narbona *de aetate, ann. 7. q. 8.* duas esse opiniones Theologorum: Prima perducit Infantes ad annum duodecimum, quando scilicet capaces sunt sumendi Sacram Eucharistiam: Secunda docet, ut attendantur anni, in quibus Pueri sunt capaces Sacramenti Poenitentiae, et incipiunt confiteri culpas suas, id est in sexto, vel in septimo anno, secundum majorem, vel minorem vivacitatem intellectus eorumdem; ob illam supra allatam rationem, quod sacramentum hoc est consummativum Poenitentiae, et cui haec ministratur, eo magis illum conferri potest. Laym. *l. 6. tr. 7. c. 4. n. 2.* et alii apud Clericat. *dec. 18. nu. 17.* qui inter duas has opiniones, hanc postremam esse amplectendam docet cum Gobat. *tr. 8. n. 822.*

62 63 64 Nihilominus, si Parochus sit dubius, an puer habeat usum rationis, et an sit capax, vel non hujus Sacramenti, debet illud ministrare sub conditione, *Si capax es.* Ita Sanch. *disp. 27. n. 27.* et alii apud Clericat. *d. l. nu. 18.* Tota haec doctrina intellegenda est, si Puer, vel alius quivis sit in mortis periculo ob infirmitatem, ut satis abunde dictum est in §. 1. hujus Tituli. Senes unice privilegiati sunt, sed decrepiti, et qui deficere videntur per resolutionem, absque ulla infirmitate, nisi computari velit infirmitas aetatis juxta axioma illud tritissimum: *Senectus ipsa est morbus.* Ratio hujus privilegii videtur esse, quia isti parvis etiam passionibus, et morbis moriuntur et sine dolore, quia defectus caloris causat in eis quamdam insensibilitatem, ut ex Aristotele *de Juvent. et Senectute, cap. 14. art. 1. n. 4. et 5.* et Maur. *t. 4. p. 704.* prout etiam notat Clericat. *d. dec. 76. nu. 18.* Babosa *d. c. 22. n. 18.*

§. VI. Infirmis autem qui, dum sana mente, et integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebatur.